

/ Admodum Reverende, et Clarissime Doctor. Litteras tuas una cum libro exscripto: Triumphus Catholicae veritatis accepi, et statim totum perlegi cum magna animi mei voluptate: et postea misi ad Reverendissimum Dominum Amalthaeum communem amicum, qui etiam continuo legit, et ad me remisit. Ago ingentes gratias, et in argumentum, sive testimonium quod legerim, admoneo in pagine 51 circa medium haberi nomen S. Cypriani pro nomine S. Leonis, ubi dicitur: Cum ego sim inviolabilis petra etc. Ista enim verba inveniuntur in sermone Sancti Leonis de assumptione sua ad Pontificatum. Sed hoc non est erratum alicujus momenti, cum S. Cyprianus non sit minus Sanctus vel doctus, vel disertus, quam Sanctus Leo. Interim saluto charitatem tuam, meque tuis precibus ex animo commendo.

Romae die 20. Decembr. 1617.